

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XII. De anima alteribus hominis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

si perfecte Religionis habitum duxissem, nunc mihi secundum liberalitatis suæ magnificentiam donavit. Insuper mihi speciale meritum est, quod in utero matris Christo fueram assignata. » Super quo dum illa valde miraretur, tale a Domino accepit responsum : « Quid miraris ? Nonne infantes baptizati aliena fide salvantur ? Nam sicut mater spiritualis votum christianismi pro puero spondens, si contigerit puerum decedere, per ipsum votum salvabitur ; sic ego integram matris voluntatem pro facto suscipiens, omnia bona quæ desiderando huic puero optavit, in ipso remuneravi. » Tunc illa Dominum requisivit dicens : « Et cur, amantissime, tam immature puerum assumpsisti ? » Qui respondit : « Tam amabilis puer erat, quod ei manere in terris non expediebat. Insuper ejus pater post mortem primogenitæ suæ votum matris irritasset, et eum in sæculo reservasset. »

CAPUT XIII.

DE ANIMA ALTERIUS HOMINIS.

Medulla
Cordis
divini.

ITEM cum pro anima cujusdam Dominum exorasset, taliter ipsam animam Deus est allocutus : « Bibe de medulla Cordis mei gaudium ex parte omnium pro te orantium. »